

**Oratio anniversaria in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensium,
ex Harveii instituto, habita die 18o Octobris 1743 / [Robert Bankes].**

Contributors

Bankes, Robert, 1704-1746.
Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

Londini : J. Robinson, 1743.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bya8vz9c>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



12557/B


binding
ggf

B xxiv Har

W. Harvey

rep 1/57
Mar 19

L125
L129



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30517333>

ORATIO
ANNIVERSARIA

IN

THEATRO Collegii Regalis
Medicorum Londin. &c.

A

ORATIO

ANNIVERSARIA

THEATRO Collegii Regalis
Medicorum Londini. &c.

O R A T I O

ANNIVERSARIA

I N

THEATRO COLLEGII REGALIS

M E D I C O R U M

LONDINENSIIUM,

Ex *HARVEII* Instituto,

Habita Die 18^o OCTOBRIS, 1743.



L O N D I N I :

Prostant venales apud J. ROBINSON ad infigne
Leonis aurati in *Ludgate-street*, & Bibliopolas
tàm Londinenses quàm Westmonasterienses.
M DCC XLIII.

O R A T I O

ANNIVERSARIA

IN

THEATRO COLLEGII REGALIS

MEDICORUM

LONDINENSIVM

EX HARVEII INSTITUTO

Habita Die 18^o Octobris, 1743.



L O N D I N I :

Prostant venales apud J. Roarison ad indicem
Iconis aucti in Ludgate-street, &c. Libraria
tam Londinenses quam Westmonasterienses.
M DCC XLIII.



VIRO ERUDITISSIMO

HENRICO PLUMPTRE, M.D.

PRÆSIDI DIGNISSIMO,
SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Regalis MEDICORUM;

HANC

ORATIONEM,

ILLORUM JUSSU

PUBLICI JURIS FACTAM,

Eâ quâ par est observantiâ

D. D.

ROBERTUS BANKES.

B

VIRO ERUDITISSIMO

HENRICO PUMPHREY, M.D.

PRESIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Regalis Medicorum;

HANC

ORATIONEM

ILLORUM JUSSE

PUBLICI JURIS FACTAM

Esque per eum oblatam

D.D.

ROBERTUS BANKES

B

ORATIO

HARVEIANA.

EGO verò ac lubens— Quid enim jucundius, quàm defunctorum virtutibus parentari? Quid honestius, quàm laudes, virtutum præmia, amplissimo stipendio redonare? Hæ sunt lacrymæ, Auditores, quibus nos bonorum nostrorum spargimus favillas; grata hæc quotannis commemoratio, perpetua quæ condimus monumenta.

Quid enim? Quantillùm morti cedit? Exuviis corporum depositis, tumulos super immortalè eminent Virtutes, sociisque se immiscent animis; has dùm memores
recolimus,

recolimus, quasi in horto deambulantes, suavissimos undequaque flores carpere videmur ; nec iniquâ tamen istâ lege, quâ breves rosas, hæ enim fato superiores, nos etiâ eripiunt fato. Hinc defunctos, LINACRUM, CAIUM, HARVEIUM, præsentem intuemini ; hinc perpetuus Collegii status, perpetua populo defluxit salus.

Felicissimo æternitatis augurio societatem hancce nostram instituit HENRICUS ; auspicato scilicet isto tempore, in quo, ex EDOARDI profapiâ in se coalitâ, cesserat extinctus furor civilis, pacique redonâssent Britanniam. Quo melius igitur audiret Pater Patriæ, tam in civibus suis conservandis, quàm in renovandâ prole numerosiori ; optimos undique, LINACRI suasu, in unum coëgit Medicos, & suorum salutem præesse iussit ; ut, quibus pepercerit belli strages, salubriori & diuturniori fruerentur vitâ. Patriæ admodum, quod tantâ fuerit apud HENRICUM LINACER gratiâ ; vobis vero impensius gratulor, Collegæ Ornatissimi, quod nec Regi, nec

LINACRO

LINACRO sua se spes fefellerit. Quod in annalibus vestris versandis nullâ fordescens liturâ festivè nitet quæque pagina, & illustre resignat nomen, hujusce solennitatis deliciae, & ornamenta. Paucos sanè habuimus, qui nos re ditârunt, paucissimos vero, & in hoc gloriemur licet, paucissimos, inquam, qui non virtutis ampliârunt fundum. Frugi castique hæredes majorum suorum famam sibi solummodo mutuam crediderunt, posteris ingenti cum scœnore persolvendam. Siquid igitur communi sit exemptum sorte, siqua hætenùs pateat immortalitati via, an indecentè id huic nostræ spondemus societati? Cujus in commune bonum fundantur ædes, quibus ex virtute solâ accrevit Patrimonium.

Lares igitur, & Tutelares nostros intrâ angustos horum parietum limites contineri noluit HARVEIUS, nè privati id modò juris videretur, quod publici esse debuerat. Novit quantum polleant exempla, & quàm mirè omnium allecēt animos, amabili nos dedimus contagio, in imitationem erubescimus,

bescimus, in æmulationem accendimur, tandem quasi divinitus impulsī præscriptos extrā fines evagamur, idem fit unicuique laborum cursus, eadem gloriæ participatio.— Sacra hæc idcirco fieri, & majorum vestrorum imagines publicè quotannis exhiberi voluit, ut adoptivos LINACRO fuscitaret HARVEIUS.

Primas igitur adfume, LINACER, Literarum & Medicinæ lumen, & dùm tua perlustrem stadia, & labores domi forisque memorem, meæ secundus fac sis Orationi, famæque invigiles tuæ.— Sed nec natales celebrârunt tuos Genethlia, nec, qualis sis futurus, prædixit Orator; altum prorsus de te silentium, tu linguam, tu loquendi donaturus artes. Lethargiæ enim ad instar tacito obrepens gressu omnium mentes consopiêrat Ignorantia; Literaturæ siquid supererat, id in Monachorum scriniis, quasi sepulturæ donatum, quiescebat; suaves licet notaret Titulus reliquias, Atticum hoc cœnare suis vetuit Luxuria, cæteris invidit Superstitio. Te-
nebricosum

nebricosum igitur LINACRO instituendum erat iter, viæ nec dux, nec comes; aversos habuit quamplurimos, secundantem neminem: OXONIÆ, quam splendide dissimilis fui! profectus frustra quærit, quas ipse olim OXONIÆ conditurus est, Philosophiam & Medicinam. Peregrè abi, egregius Exul, proscriptas Itali revocârunt musas; Romæ tuos anhelant amplexus, congeneres te Florentiæ deprecant animæ; sed nec longas Romæ moras, nec quoscunque tibi honores meditetur LAURENTIUS, Etrusco te diutinum credas cœlo. Ceres altera, coluisti, quas peragrâsti, terras, Britannia nè desis tuæ. Domi reversum majora te manent, Juventutis Principem curæ destinat HENRICUS tuæ, morum felix ac salutis Arbiter! Amplissimos laborum tuorum proventus collige, Principum gratias, optimorum amicitiam: Sed nec in medio laudum tuarum itinere te subducas, nec, quas restituiisti, artes & scientias tecum commorifinas: Improles morieris, LINACER, nisi
&

& has animi tui dotes, æquè ac incerta ista fortunæ bona, legitimo dicaveris testamento. Cavit hoc, & Infantulas, quas tolli jussèrat, artes vestræ mandavit curæ; Medicinæ excellentiam perspexit Medicus, & interesse has nimium nobis, quam quas semel in libertatem vindicatas, iterum ut in servitium relabi pateremur. Antecessores igitur vestros in sodalitium sibi adscivit, quod ex HENRICI gratiâ auctoritate stabilivit publicâ; societatem novam suam ipse primus Præses doctrinâ locupletavit, moribus sancivit suis; teneram adhuc ædes intrâ suas comitiis vestris habendis accommodatas enutrivit, quas moriens in perpetuum Apollini consecravit. Quo futuri germinarent Nepotes sui, OXONIÆ cathedras instituit duas, CANTABRIGIÆ unam; charissima hac LINACRIANI amoris pignora fovete, sorores plusquam germanæ, & quotiès festus hicce relucescat dies, totiès orientem salutemini LINACRUM, Literarum & Medicinæ lumen.

Quemnam

Quemnam verò vobis post LINACRUM
potius? quam qui LINACRO monumentum
exstruxerit, qui ex suo universis innotescit
suspice fidelissimum marmor, F U I
C A I U S.

Salve, CAIE, nomen omni laudum mea-
rum præconio honestius; salva sit ergò
tibi fama tua; ingrati tamen, & indigni
prorsus videremur, si, in hâc annuâ com-
memoratione nostrâ, tacitum te prætermi-
tamus unquam. Ob privata igitur tua in
nos collata beneficia, quod Insignibus istis
gentilitiis nos ditaveris; quod acerrimus
Collegii vindex semper fueris, & stator;
quod Præsidis officium paternâ totiès gesse-
ris curâ; sine te gratiis, te amore, te pie-
tate prosequamur.

Aureum alterum, Collegæ Ornatissimi,
in CALDWALDO ramum agnoscite; si tan-
tus sit vobiscum LINACRI, CAII si tantus
honus, quod ædes hæc fundaverint, &
conservaverint; quâ non CALDWALDUM
reverentiâ accipietis? Cui vel artis ipsius
fundamenta, cui vestrum debetis HAR-
VEIUM. Novit ille, medicinamagrestium

D

ad

ad instar arborum crudos solummodo & immaturos edituram fructus, nî furculi in morem Anatomiae succrescat infitiva, ideoque cum prænobili LUMLEIO suo prælectiones vobis Chirurgicas instituit. A te igitur, CALDWALDE, hujusce solennitatis natales jure ducimus, quæ tardè admodum, at tempestivè adolescens, sub HARVEIO viriles attigit status.— Parvi res momenti citò citius emergunt; horæ unius, alterius forsan Ostentatio, & Fungus; Artem verò non difficilem minùs, quam humano generi necessariam, restituere nè dicam, sed, de novo instituere, plus esset quam quod intrà sæculi unius limites sperare possemus, nè id HARVEIO soli hodiernus vindicaret dies.

Philosophia (ex ancillâ quasi in dominam evecta) Medicinam sibi discolorum adeò effinxerat, ut à se nihil abhorreret magis, speciosa sanè incedebat, at incerta prorsus, & vaga; Hesternâ quâ non Hypothesi hodiè superbiens, craftinae spolium, & ruina; simplicitas ergò sibi restituenda erat

erat sua, & meretriciæ hæ rescindendæ vestes: Hæc CALDWALDI vestri cura, hic erat HARVEII nostri labor.

Simplex Ille, ac si Naturæ filius, patiens & intentus operi, ac si circulationem prævidisset suam, intimos humani corporis recessus penetravit, & cultro famæ suum patefecit iter. Antiquorum industriam sibi præposuit exemplum, seipsum Posteris daturus; Ingenio, peracuto licet, minimum confusus; rationi, nisi ab experimentis sæpius institutis subactæ, parùm; veritati unicè consuluit, non ornamentis: Laboriosas enim philosophantium nugas inutile abiecit pondus, secundas tractare partes dedignatus, cùm totum sibi vacaret Theatrum. Medicinam igitur non ab HARVEIO restauratam prædicamus, sed de novo instauratam gloriamur; alii se naturæ ministros esse jactarant, Naturæ HARVEIUS obtemperando imperavit: Agendo, & patiando indefessus illam nec in minimis evanescentem, nec in maximis latitantem deseruit; à corde sequax hunc adoritur

PROTEUM,

PROTEUM, per capillares pelluentem tubulos, per ingentem Hepatis insequitur molem, per non-amplius-aëreas Pulmonum venas novâ erubescens purpurâ salutabat reducem, & perpetuo ligabat vinculo.

Quod HIPPOCRATI penitus ignotum, quod GALENO incertum semper, & fallax, quod Romanam superius eluserat disciplinam, id vobis omnibus absolutum numeris tradidit HARVEIUS. Pulsuum originem, & causas assignavit, Venæ sectionis morem, & modum; inanem specificorum ablegavit turbam, & rationalem posuit medicinæ basin. Primitiæ hæ circulationis tuæ, uberiores indies fructum reddituræ; neque enim minor tibi, HARVEIE, debetur honos, quod aliis honori portam aperueris; qui ex messis tuæ spicilegio in laudes, in famam inclaruerunt. Spiralem cordis fabricam, reciprocos circuli tui moderantis æstus, LOWERO investigandam dedisti. Bilem, non amplius difficilem, GLISSONIO cohibendam. Intricatos glandularum

dularum Mæandros, ipse enim prætendisti
 filum, rectâ permeavit WHARTONUS viâ.
 Quantâ, quantâ cum luce effulseris, O!
 Sydus HARVEIANUM, tales cùm habueris
 orbis tui Satellites.

Privatæ verò munificentiae tantisper
 cedant laudes publicæ, & has intrâ ædes,
 ferro abreptas, incendio devastatas, bis ab
 HAMÆO vobis restitutas, domesticæ sit
 virtuti locus. Quod si HALÆI nomen
 proximius adjungam, id nec à me præ-
 maturè factum, nec vobis injucundum
 fore arbitror; pari enim ergà vos amore
 flagrant ambo, dissimili quanquam
 studio. Præfens ille, quodcunque vestrûm
 inferviret commodis, dono dedit; alter
 ad coëmendos libros quingentos mo-
 riens legavit libras; illi igitur viventi-
 um magis, alteri mortuorum cura; hic
 APOLLINI suum reædificavit templum,
 alter disjecta undique collegit Oracula;
 hic ex largitis prædiis sacerdotio perpetu-
 ando consuluit, alter sepulchrale singulis
 exstruxit monumentum. Quid enim aliud
 est hocce HALÆI munus, quam si Biblio-
 E thecæ

thecæ inscripisset vestræ, SISTE VIATOR, mores animosque meorum perspice, hîc requiescunt famæ custodes suæ, quos vivos requiescere noluit salus publica.— Delphos hosce alteros, Socii Ornatissimi, colite igitur, & ornate; majorum vestrorum virtutes assumite, minoribus vestras reddite. Foras LINACRI dignitatem, domi fratrum HAMÆI animum, utrôque ingenuam HARVEII simplicitatem æmulemini. Unicum hoc mihi à vobis exorandum restat, ut, quos & quales in societatem admissuri estis, cautissimè inspiciatis; neque enim, licet vos quam libentissimè maximos haberi, ultimos numerari vellem. At Aurantii ad instar mali in perpetuum efflorescat, sicut hætenus effloruit hocce Collegium, maturo onustum fructu, maturanti turgidum & pœnè oppressum, nec deficiuæ interim gemmæ, futuræ ætatis, futurorum sæculorum promissa.

HARVEIANUM non ampliùs moratus
essẽm convivium, nî vos, Collegæ Ornatissi-
mi,

mi, ad Insignia ista conversos spectâssem ;
 cui mihi PELLETTII se à præsidio subdu-
 centis desiderium ? Cur PLUMPTREI hono-
 res nostros nuperrimè averfantis memoriam
 excitâstis ? Illos ego vel consultius omise-
 ram ; frustra enim vos concordēs habeam,
 quod cæteros omnes virtutibus prægra-
 vâssent suis, quod Cathedræ illi auctorita-
 tem, Societati dignitatem attulissent, quod
 nulla unquam nobis secundior arrisisset
 ætas, aut LINACRIANÆ familiæ augustior,
 sc̃ in mediâ oratione definiendum sit, &
 dimidiatas illis impertiam laudes. Sed &
 precibus se flecti nostris passus est, &
 exemplo utinàm profuturo, alterum nobis
 annum indulgit PRÆSES ; O ! si prisca
 vobis redirent tempora, aut alterno nos
 regeretis imperio, Amica Sydera. Felix sit
 faustumque futuris oratoribus exordium,
 ità enim PELLETTIO visum fuit ; hanc mi-
 hi provinciam demandavit PLUMPTREUS.

F I N I S.

